



Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatae, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Perillvstri Ac Reverendissimo Domino P. Mario Ambrosio Capello Ex Ordine P. P. Prædicatorvm Iprensivm Episcopo Designato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53012)

PERILLVSTRI AC REVERENDISSIMO
DOMINO
P. MARIO AMBROSIO
CAPELLO
EX ORDINE P.P. PRÆDICATORVM
IPRENSIVM EPISCOPO
DESIGNATO.

FFECIT Præfens hoc Opus, REVER^{ME} DOMINE, vt esset, vnde
& publico Orbis Christiani voto, & meo priuati, quo ma-
ximè exardebam, satisfacerem desiderio. Dolebat ille, &
quasi cum ingrato sæculo ac bona sua non intelligente expo-
sulabat, tam præclaros & famâ quaquaversum decantatos doctissimi
Antistitis labores, intra vnius linguę cancellos contineri: neque repertum
hactenus, qui fontem hunc saluberrimum ac copiosissimum, cuius utili-
tas ad omnes pertineret, effosso latissimè alueo extra vnius hortuli angu-
stia eductum, in reliquas Orbis plagas, terras omnes irrigaturum, emitte-
ret. Ego verò, post luculentissimum de Virtute ac meritis Tuis Catho-
lici Regis iudicium, cum & priuatim quisque, ac publicè Patria ipsa
gaudium Tibi suum quibus poterat signis probare gestiebat, incredibili
afficiebar lætitiâ, commodè euenisse vt in manibus esset donarium ali-
quod, nec à Dignitate Tua alienum, & Auctoris nomine vel maximè pla-
citurum: quo & veterem erga maximas plurimasque Virtutes tuas ani-
mi mei cultum, & nouum ex recenter collata, diu tamen ante promerita,
dignitate, gaudium testari possem.

Ac primùm quidem in mentem veniebat Aristidis Sophistæ moni-
tum, censentis *Templa Diis consecranda: Viros vero eximios LIBRORVM
DEDICATIONE honorandos esse.* Nimirum, quod nec viris præclaris, ac
bene de genere humano meritis, quidquam iudicaret Diuinæ naturæ
proximus

* 3

EPISTOLA DEDICATORIA.

proximiùs; nec Libris (post Aras ac Tempa vnus Dijs debita) quidquam ad nominis vel celebritatem gloriosius, vel perpetuitatem diuturnius. Deinde iudicabam nulli omnino aptius aut conuenientius præstantissimum hoc ac raræ & singularis doctrinæ Opus inscribi posse, quàm illi, qui iisdem planè artibus ac gradibus, quibus eiusdem Auctor, atque ex eodè præclarissimi Ordinis veluti ludo ac disciplinâ, ad fastigij Episcopalis culmen ascendisset, nempe Ingenij, Doctrinæ, ac Sacræ Eloquentiæ laude; tum Prudentiæ, Humanitatis, Pietatis, Modestiæ, aliarumque Virtutum commendatione: Quæ cum in HIERONYMO LANVZA, Barbastrensi olim EPISCOPO, summa fuerint omnia; in Te certè non minori lucè ac splendore omnium se oculis ingerunt. Sive enim ingenium cogitem; illud à Natura Tibi obuènit acutum, acre, magnum ac planè admirandum. Si Doctrinam; nihil est in vlla aut scientiâ tam reconditum, quod non inuestigaueris solerter, feliciter detexeris, inque vsu primò tuum, deinde aliorum, conuerteris. Ac Philosophicas quidem disciplinas iam in primo ætatis flore constitutus alijs de loco superiore summâ cum laude, nec minori fructu tradidisti; Mox dignus repertus qui Theologiæ arcana eisdem resignares, ac Studio Generali Louanij Regentis titulo præfectus, Doctorali ibidem laureâ publice donareris. Si Eloquentiam, siue in priuatis colloquijs, siue in Sacris ad populum concionibus sese in omnem partem vberimè ac suauissimè expandentem; non iam apes, quæ olim in cognominis Tibi Antistitis labris confédisse feruntur, sed Suadam ipsam os istud aureum omnium elegantiarum rore imbuisse dicam. Jam si linguarum peritiam considerem, quænam est ex omni penè Europa hominum natio, cum quâ animi tui sensa sine interpretis beneficio communicare non possis? Quæ laus vt magnos sæpe viros destituit; ita sanè fatendum est in communi vita ac luce verantibus maximo sæpe ad res præclarissimas fuisse adiumento. Hic verò ne per Virtutes Tuas latè me diffundam, vna inter eas eminentis ac reliquarum indiuisa comes prohibet Modestia. Quamquam satis illas de prædicant publica ac splendidissima non solum popularium tuorum, sed exterarum

et. am

EPISTOLA DEDICATORIA.

etiam nationum, iudicia: Quæ Te in Belgio quidem primum, Traiectensi, Bruxellensi, Antuerpiensi conuentui, Prioris titulo præfecerunt: moxque à Sacra, de propaganda fide, Congregatione, missioni Hollandicæ Præpositum gratantibus animis ac vocibus acceperunt: Romæ verò, vbi præcipuè velut in publico Orbis theatro Virtus se Tua omnibus spectandam exhibuit, in comitijs Generalibus, conspirantibus tot diuersarum licet nationum punctis, Prouincialem constituerunt Terræ sanctæ, ac primum Reu^m Patris Generalis Socium. Is ipse autem cum ingenium illud perspexisset ad omnia præclara natum & multarum rerum scientiâ atque vsu etiam longo subactum, nihil aggressurum, quod non ad optatum exitum deduceret; vices Tibi suas concredidit, ac Prouinciarum Teutoniæ, Bohemiæ, Stiria, Carinthiæ ac Germaniæ inferioris Generalem Commissarium esse voluit. Sed parua hæc fortasse quispiam, licet sanè maxima, æstimabit, ac velut domo adducta testimonia. Quid, quod à Principibus sæpe viris, de grauissimis rebus deliberantibus, in consilium adhibitus? quid, quod à maximo ac potentissimo Hispaniarum Rege PHILIPPO IV. famâ nominis tui permoto, ad summum Pontificem VRBANVM VIII. pro Ordinis tui negotijs Orator missus fuisti? Ac nuper quidem ad Regis ipsius colloquium admissus, accedente ad Vitæ ac Doctrinæ præsumptum iam rumore gratissimâ corporis formâ, atque Eloquentiâ iudicij ac maturitatis plenissimâ, adeo eius animum deuinxisti, vt oblatum Te sibi gauderet, quem IPRENSI Sedi, iam Pastore suo orbata, Episcopum designaret. Quam Spartam tibi commissam, vtinam per bellicos hos tumultus detur, vt quantocius adire possis, atque animum illum ad magna quæque accinctum, ac iam antè altioribus curis atque infulis præudentem, hoc veluti in campo latissimo ac se digno exserere! Nimis certè diu (vel inuidiâ audiente dicam) Virtus illa communi Patriæ atque Ecclesiæ bono promouendo nata, intra Monastici claustrum angustias se continuit.

— *Veluti sine remige puppis,*
Vel Lyra quæ reticet, vel, qui non tenditur, arcus.

EPISTOLA DEDICATORIA:

Vt mirum nulli videri debeat si Te flagrantissimis Desiderijs IPRA Tua expectet, atque ad Pastoris sui exoptatissimum anhelat aspectum: in quo sibi Fides auita fortissimum promittit defensorem, viduæ ac pupilli fidissimum consolatorem, pauperes benignissimum patrem, Magistratus dubijs in rebus per fugium, populus viræ ac sanæ doctrinæ exemplum, clerus atque ipsa Episcopalis sedes singulare decus atque ornamentum. Hæc iustissima ac calidissima Tuorum vota dum cælestis ille ac supremus Pacis ac Belli arbiter, ob causas sibi vni cognitæ, nobis, qualescumque sint illæ adorandas, implere differt: mearum interea partium esse arbitratus sum, hanc Dignitati Tuæ congratulandi occasionem non negligere. Quod simulatque intellexit præsentis Operis Translator; non exiguam sanè percepit voluptatem, vel Urbis Iprensensis causâ cui natales suos debet, vel priuato affectu quo tum in Virtutes Doctrinamque Tuam, tum in ipsum Sanctissimum ex quo assumptus es Ordine, propendet. Qui, præter vetustissimam atque arctissimam inter SS.^{rum} Dominici & Francisci Religionem, iam inde à prima, vtriusque institutione necessitudinem, hoc etiam dignum obseruatu existimauit; nusquam fere ipsum Operis huius Auctorem vnus mentionem cum laude injicere, quin illico præclari aliquid ex alterius Annalibus sumptum adiungat. Tu verò, qua soles facilitate & humanitate, hanc obseruantiam meam promptitudinem boni consule: quæque Tua est & apud omnes auctoritas, & erga Litteratos ac Doctrinæ studia affectus singularis, nostrum, in publicandis ac luci asserendis præclarorum ingeniorum fatibus, conatum, tueri ac fouere velis.

*Perillust. ac Reuerend.^{me} D. Tuæ
Addictiss. Cliens.*

GVILIELMVS LESTEENIVS.

PRÆ